



MS. V. 1. 1.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

# VSV LOQVENDI

QVAM  
IVBENTE  
INCLVTO PHILOSOPHORVM ORDINE

PRAE SIDE  
IOHANNE ANDREA MICHAEL  
NAGELIO

METAPHYS. LINGVAR. ORIENTIS ET ORAT.  
PROF. PVBL. ORDIN. ET BIBLIOTHECARIO


PRAECEPTORE AC PATRONO SVO OMNIS HONORIS  
OBSERVANTIAEQUE CVLTV PROSECVENDO

PRO HONORIBVS PHILOSOPHICIS

LEGITIME CAPESSENDIS  
D. XXI. IVNII A. S. R. C<sup>I</sup>O<sup>I</sup>CCLV  
PVBLICAE DISQVISITIONI

S<sup>E</sup>BIICIT  
LVDOVICVS FERDINANDVS SMITH  
NORIMBERGENSIS.

AL TORFII  
TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.




## PRO O E M I V M.




*M*agna omnino uerae philosophiae est dignitas, magnusque usus, quae  
hanc parum ualeat ad perficiendum  
et excolendum intellectum, et emendandam etque ornandam  
uoluntatem, ac hominem reuerentia erga puram religionem

A 2                          instru-



instruit, atque efficit, ut eo facilius in aliis scientiis progressi possit. Neque honestum et laudabile uitae genus inuenitur, cui ea non auxilietur, si eius opem implores, ab eaque nibil expetas, quod aut supra eius vires est, aut eam haud decet. Licet enim eum egregie adiuuet, qui ea recte utitur, destituit tamen, et iure istum destituit, nec propterea merito uituperari potest bona philosophia, qui ea abuti cupit, et ibi philosophiae specie exultare vult, ubi communis sufficit sensus, aut res nullius momenti, immo prauae, incident et tractantur, aut de eo disquiritur, quod altiori lumine perspiciendum est, quam eo, quo philosophia radiat. Quum haec saepius apud me perpendarem, et iam specimen publicum honorum philosophorum causam edere debeam: in animum induxi, strictim de usu loquendi ex philosophia commentarii. Quod ut bene narrat, et aequa iudicetur, opto  
precorue.

## §. I.



## §. I.

**C**um aliis loqui, et agere, de uero et falso iudicare, in res inquirere, et concludere, debemus. Quod quia non semper est res facilis, quum in ea etiam periti homines labantur, et philosophia doceat, quomodo rite loquendum, cum aliis agendum, iudicandum, in res inquirendum, et concludendum sit: nullo negotio philosophiae usus in hoc genere appetet.

## §. II.

Vsum loquendi esse seruandum, recte logici docent, quia alias obscuri sumus, et non intelligimus. Vnde facile appetet, si de rebus agendum est, quae adhuc nomine et termino destituuntur, apta nomina esse inuenienda et rebus imponenda, quo et ipsa in usum loquendi inducantur. Contra ea uero etiam clarum est, meras turbas eos eiere, qui sine necessitate, aut inuentionis instantia, aut nouationis studio, aut aliis prauis caussis pellenti, noua cudunt nomina, et a priscis, usuque tritis, se abstinent. Abutuntur philosophia et regulis logicis, qui hoc faciunt. Quamuis uero uix sit secta philosophica, quae in hoc genere nihil admiserit, certis tamen de caussis, in prisma potissimum inquirere uolumus. Stoicos autem

autem iam primum nominamus, quod saepius in ipsis rebus logicis, nouis, incommodis et obscuris, quam receptis planisque uocabulis, uti maluerunt. Vnde IOH. ALBERT. FABRICIVS ad SEXTVM EMPIRICVM pag. 66 ita commentatur: Stoici multa in dialecticis, praecipue circa uocabula innouarunt; nam quae Peripateticis πράγματα sueres, haec Stoicis dicta sunt τυχάνοντα. νοήμata, conceptiones, ἐνΦορμά. Φωνai, uoces, λεκτά. ἡγύμενον, antecedens etiam Stoicis, ut: si sol lucet. ἐπόμενον, consequens, λῆγον, ut: dies est. συνημένον, connexum, τζοπιὸν, quasi conuertens, sive conuersuum dicas, quoniam ab antecedente ad consequens nos conuertimus, ut: si sol lucet, dies est. μετάληψις, assumptio, πρόσληψις, ut: atqui sol lucet. συμπέρασμα, conclusio, επιΦορά, ut: ergo dies est. Pertinet huc locus IOH. PHILOPONI, qui in I priorum Analyt. p. 60 ita commentatur: Οἱ μὲν περιπατητικοὶ, τῇ ιονῇ συνιδεῖσι περιχειμένοι τὰ μὲν πράγματα αὐτὸ τῷ τόπῳ πράγματα ὀνόματα, καὶ τὰ νοήμata ὠσαύτως, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς Φωνάς. ἔτι τε τὸ ἡγύμενον ἐν τοῖς ὑποθετικοῖς συλλογισμοῖς, αὐτὸ τῷ τόπῳ ἡγύμενον. καὶ τὸ ἐπόμενον ὠσαύτως. Οἶον τὸ, εἰ ἡμέρα ἐσί τῷ τόπῳ ἡγύμενον. Τὸ δὲ, ἥλιος ὑπὲρ γῆν, τῷ τόπῳ ἐπόμενον, ἐπετοι γαρ τῷ πρώτῳ τῷ δεύτερον. Τὸ δὲ ὄλον τῷ τόπῳ τὸ, εἰ ἡμέρα ἐσί, ἥλιος ὑπὲρ γῆν ἐσί. τῷ τόπῳ συνημένον, διὰ τὸ συνηΦθαι ταῦτα ἀλλοις. Τὸ δὲ, ἀλλὰ μὴν ἡμέρα ἐσί. τῷ τόπῳ οἱ περιπατητικοὶ μετάληψιν καλοῦσι, διὰ τὸ μεταλαμβάνεσθαι ἐκ δευτέρου, ἵδη γαρ ἐληΦθι ἐν τῷ ἡγύμενῳ. Τὸ δὲ, ἥλιος αἷς ὑπὲρ γῆν, τῷ τόπῳ συμπέρασμα. Οὐτω μὲν γν. οἱ περιπατητικοὶ. οἱ δὲ Στωικοὶ παινοτέραν βαδίζοντες

τὰ

τὰ μὲν πράγματα, τυχάνοντα ὀνόματα, διότι τῶν πράγματων τυχεῖν βαλόμεθα. Τὰ δὲ νοήμata ἐνΦορμά, διότι ἀπερ ἐν ἑαυτοῖς νόθιν, τάντα ἐις τὰ ἔξω προφέρουμεν. Τὰς δὲ Φωνὰς λεκτά. Τὸ δὲ ἡγύμενον καὶ αὐτοὶ ἡγύμενον ἐκάλεσαν, κατὰ τόπο γαρ μόνον συμΦωνῶν τοῖς περιπατητικοῖς. Τὸ δὲ ἐπόμενον, λῆγον. Τὰ δὲ συνημένον τροπιὸν, διόπερ τρεπόμεθα ἐν τῷ ἡγύμενῳ ἐις τὸ ἐπόμενον. εἰ ἡμέρα ἐσί, ὁ ἥλιος ὑπὲρ γῆν ἐσί. Τὴν δὲ μετάληψιν, πρόσληψιν. Καὶ ἐμετέτητο ἐν τῇ συνιδείᾳ. Τὸ δὲ συμπέρασμα ἐπιΦορὰν, διότι τοῖς ἄλλοις πάσι ἐπιΦέρεται. Quae uerba ita interpretamur: Peripateticī, communi consuetudine loquendi seruata, res suo nomine πράγματα dixerunt, et νοήμata, conceptiones, similiter, itemque Φωνὰς, uoces. Praeterea antecedens in hypotheticis syllogismis ἡγύμενον, et ἐπόμενον, consequens, similiter. Verbi gratia: si dies est, hoc ἡγύμενον, antecedens; hoc autem: sol est super terram; hoc ἐπόμενον, consequens; sequitur enim prius illud hoc posterius. Totum uero hoc: si dies est, sol super terram est, hoc συνημένον, connexum; quia haec iam inter se connexa sunt. Illud autem: sed dies est, Peripateticī μετάληψι, transmutationem uocant, quia transmutit iterum; iam enim in antecedente sumtum fuerat. Hoc autem: Sol ergo super terram, συμπέρασμα, conclusionem. Sic itaque Peripateticī. Stoici uero nouam ingressi uiam, res, τυχάνοντα, contingentia, uecarunt, quia res τυχεῖν, consequi, uolumis. Conceptiones uero ἐνΦορμά, prolata, quia quae in nobis cogitamus, foras ferimus. Voces autem λεκτά, dicta. Antecedens et ipsi ἡγύμενον dixerunt, et in hoc solo consentiunt cum Peripateticis. Consequens autem λῆγον, desinens. Connexum.

χιμ τροπικὸν, conuersuum, quia uertimur ab antecedente ad consequens. (Vt:) si dies est, sol super terram est. Transumtionem, πρόσληψιν, adsumptionem; quod mansit in usu. Conclusionem ἐπίθογαν, illationem, quia reliquias omnibus infertur et additur. Sic incommode et abusione abstrahendi ducti, solum sapientem diuitem dixerunt; uide CICERONEM paradoxo VI, quod contra rem et usum loquendi est. Sit sapiens diues sibi, sit cognitione et consilio diues, non diues ideo est ex usu loquendi, non solus est diues. Eodem modo, ac aequae abusus stultum insanire pronuntiabant secundum CICERONEM *parad.* IIII; quod et HORATIVS *libr.* II *sat.* III, u. 43 seqq. confirmat, canitque: *Quem mala stultitia, et quaecumque inficitia ueri Coecum agit, insanum Chrysippi porticus, et grex Autumat: haec populos, haec magnos formula reges, Excepto sapiente tenet.* Nam omnem praeter sapientem Stoicum, stultum censere et insanum dicere, non licet per sanum usum loquendi. Peccauit in hoc genere etiam PYTHAGORAS cum schola sua, qui amore matheſeos et musicis allectus, fere ubique numeros et musicam contra usum loquendi inducere uoluit. Vnde IAMBlichvs in uita PYTHAGORAE *cap.* XII, p. m. 65, haec habet: ή τῶν ἀριθμῶν τε καὶ λόγων Φύσις δι ἀπάντων διαφέστα, καὶ σὲ τὰ πάντα ταῦτα συντέτακται τε ἐμμελῶς καὶ μενόσυνται πρεπόντως. Id est: Primum autem illud erat, numerorum ac rationum per uniuersa discurrens natura, quibus omnia haec suo ordine, scite et decenter constituta et ornata sunt; qui in NICOMACHI *Arithmetica* p. m. 11 ita commentatur: Οἱ δὲ περὶ Ἰππαῖον ἀναγνωτικοὶ, ἀριθμὸν ἔιπον παράδειγμα περῶτον κοσμοτοῦας. Καὶ πάλιν κειτικὸν κοσμικόν θεῖ ὄγκανον.

Φιλό-

Φιλόλαος δὲ Φισιν, ἀριθμὸν ἔιναι τῆς τῶν κοσμικῶν οἰωνίας διαμονῆς τὴν κρατιζένταν, καὶ ἀυτογενῆ συνοχήν. Hoc est: Hippasi sectatores (qui proprio dicebantur acusmatici) numerum dixerunt esse exemplar primum creationis mundi, et rursus normam, secundum quam creator Deus iudicavit de mundo a se condito. Philolaus uero dicit, numerum esse uinculum, potentia sua sustinens aeternam rerum mundanarum permanescientem, sibique innatum. Esse in rebus conditis ordinem, easque posse numerari, et in numeris etiam inesse ordinem quis neget? Ast ideone contra usum loquendi dicere licet, omnia facta esse et constare numeris et secundum eos? Egregia sunt uerba IOHANNIS CLAVBERGII, quae in TENNLII *notis in IAMBlichVM* pag. 177 de hoc genere ita exstant: *Error ille est plurimum et veterum et recentiorum, quod saepius imbuunt doctrinas suas opinionibus quibusdam et conceptibus propriis, quos potissimum in admiratione habent, ut egregie obseruat illustris Bacon de Verulam.* *libr.* I *de augmento scient.* - - Ita Pythagoras numerorum naturam et rationes praeципue admiratus fuit, atque inde totam philosophiam deriuare studuit, saltem numerum doctrinas suae passim immiscit. Cuius rei documenta sunt apud Macrobius in somm. *Scip.* I, c. 16; et sunt in Platonis *Philosophia*, praesertim in eius *Timaeo*. Verum esse, quod CLAVBERGIVS de consensu PYTHAGORAE et PLATONIS in abusu uocis, numerus, dixit, patet ex PROCLO, qui *libr.* III, *cap.* 29 in *PLATONIS theol.* p. 226 dicit: πάντων γνῶν ἀριθμοῖς, καὶ ἐδεστὶν υφισταμένων, οἱ μὲν ἀριθμοὶ τὴν πρώτον ἔλαχον, ἀπὸ τῆς ἀνεόπτητος τῆς νοερᾶς. Quum igitur omnia per numeros, et formas subsistant, ipsi quidem numeri progressum sunt sortiti ab intellectuali summitate. Neque defuerunt, qui ut aenigmatische potius, quam more aliorum, er

B

et ex usu loquendi dicerent, quidlibet per numeros designare instituerent. Testis est ARISTIDES QUINTILIANVS qui libro III de musica pag. 155 haec narrat: *αλλὰ καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν αὐτοῖς τοῖς ἐκπεμπένοις ὅσοις παρόμοια προσειρήναστι. τὰς γὰς τέτταρας αἰετὰς οὐκ ἄλλο τυγχάνειν οὐ πρὸς αἰσθητὰς ὁμοιότητας. τὴν μὲν γε Φρόνισιν ἀνάλογον μονάδι. μοναδιὴ γὰς οὐ ἐκάτεσσιν καὶ ἀπλὴ γνῶσις. δυάδι δὲ ἀνδρίᾳ, καὶ δευτέρᾳ χωρὶς παραπλήσιον ὅσμιν ἀπό την ἐφ' ἔτερον καὶ μεταβασιν ἐμφαίνεσσα. τετράς δὲ σωφροσύνῃ, ἐνδείᾳς ἐν μέσῳ, καὶ ὑπερβολῆς συμμετρίαις κεντασμένη. τετράς δὲ διπλοσύνῃ. πρώτη γὰς ἰσότητα δείκνυσιν, ἐξ ἴσαντις ἵσων πρώτη συνετῶσα. τῆς δὲ σωματικῆς ἐπιτομίας ἰσχὺν μὲν ἀνάλογειν ἀνδρίᾳ, διὸ καὶ δυάδι. οὐλλος δὲ σωφροσύνῃ, διὸ τὰς τῶν μερῶν καὶ χρωματῶν συμμετρίας, διὸ καὶ τετράδι. ὑγίειαν δὲ διπλοσύνῃ, διὸ τὴν πρὸς ἄλληλα ὁμονοιαν τέττων. Φρονίσει δὲ ὁδεμίαν ὁρῶντες ἐν σώμασιν ὁμοιότητα, ἐν λογικῇ διὰ τῆς ἐπτάδος. Id est: *Quin et maxima bonorum ipsis illis expositis terminis ad similia dixerunt. Quatuor nimirum uirtutes nihil aliud esse quam ad numeros similitudines.* Et quidem prudentiam respondere unitati. *Vnica enim et simplex cuiusque est cognitio.* Binario respondet fortitudo, etiam secundo loco ad similem impetum ab aliquo ad aliud, et transitum commonistrans. Ternarius, temperantiae, inopiae in medio et abundantiae temperationem adhibens. Quaternarius iustitiae, quippe prima aequalitatem monstrat, ex aequaliter aequalibus prima constans. Ex corporali autem felicitate robur respondere fortitudini; quare et binario, pulchritudinem, temperantiae, ob partium et colorum commensus,*

mensus, ideoque ternario. Sanitatem iustitiae, ob mutuum borum inter se consensum; at prudentiae nihil in corporibus ad simile cernentes, merito per septenarium eam denotarunt. Et quam uiolenter non torcit uerba et bonum usum loquendi PYTHAGORAS, quem ob harmoniam et ordinem rerum in mundo, mundum et stellas canere diceret. Recenset hunc eius uerborum lusum et abusum ORIGENES in philosophumenis p. 26 seq. ubi haec leguntur: *Καὶ έτως μονάδα μὲν ἔναι απεφινατο τὸν Θεὸν, αἰσθητὸς δὲ Φύσιν περιέργως ιατραμάζων μελαδεῖν ἐφη τὸν κόσμον καὶ αἴρουντα συγκειθαι, καὶ τῶν ἐπτὰς αἰσέρων πρώτος τὴν κίνησιν καὶ βραχὺν καὶ μέλος ἥγανεν.* I. e. *Et sic unitatem quidem affirmauit esse Deum: at numeri curiose perdiscens naturam, mundum dixit melos canere, et cum harmonia sive concentu comparatum esse; siderum quoque septem et motum et rhythmum et cantum primus inuexit.* Hanc loquendi rationem minus bonam de septem stellis errantibus etiam PLATO sequutus est, unde CHALCIDIVS in TIMAEVUM cap. V, p. 313 septemque, inquit, circulos instituit planetum, eosdemque aduersum se distare facit interuallis musicis, ut iuxta Pythagoram motu harmonico stellae rotatae musicos in uertigine modos edant. Res mira est, eos non dixisse, quando pluit, stellas flere, mingere, aut uomere. Ne quid fabulae desit, addemus his rationes musicas anni tempestatum ex ARISTIDE QUINTILIANO de musica libr. III p. 145. *ἔξει τοῦ νυν τὸ ἕαρ, καθὰ καὶ Πυθαγόρεαν ἐφασαν λέγειν, πρὸς μὲν μετόπωσον, τὸ διὰ τεσσάρων. πρὸς δὲ χειμῶνα, τὸ διὰ πέντε. πρὸς δὲ θέρος τὸ διὰ πασῶν.* Hoc est: *Habebit itaque uer, quemadmodum et Pythagoram dixisse ferunt, ad autumnum, dia tessaron: ad hiemem, dia pente:* ad

*ad aestatem, dia pason.* Vnum sine laude dimittere nequeo, cui doctrina sua, siue serio, siue ioco, persuasit, niuem falso ex usu loquendi dici albam, quum nigra sit. Qui is fuerit, prodit CICERO libr. IIII Acad. quaeſt. p. m. 115: *Anaxagoras niuem nigram dixit esse; ferres me, si ego idem dicerem? et ibidem pag. 142: Huiusmodi igitur uisus consilia capiet et agendi, et non agendi: faciliorque erit, ut albam niuem esse probet, quam erat Anaxagoras, qui id non modo ita esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa congregata esset, albam ipsam esse ne uideri quidem.* Ad priorem locum MANVTIVS ita commentatur: *Anax. Princeps olim habitus in physiis, sed interdum ineptissimus, cum niuem nigram esse dicit.* Serio hoc dixerit ANAXAGORAS, an ab aliis ipſi afflictum sit, disputatum est; Vid. WOLFIUS ad ORIGENIS phil. p. 78. Nos rem sententiam ANAXAGORAE, sed ludicram fuisse censemus, et ob uim usui loquendi factam, tamquam nugas cum SEXTO EMPIRICO reiiciimus, qui libr. II, c. 22. Pyrrh. hypot. pag. 122, ita, licet ex aliis principiis, disputat: οὐ χιών, ὑδωρ εἶ πεπιγός. μέλαν δὲ τὸ ὑδωρ εῖσι. μέλαινα ἀρά εἶνι οὐ χιών. οὐδὲ τοιτέσ τινας αἴροισας ὑθλάς συνάγει τὰς, οὐ φρύξ, οὐδὲ προχειρίζεται τὴν διαλεκτικὴν, οὐδὲ πάνυ σεμνῶς ἐπιχειρεῖ πατασμενάζειν ήμιν δι αἰποδείξεων συλλογιζομόν, οὐδὲ γίνεται τι, οὐδὲ οὐ γίνεται τι, οὐδὲ οὐ οὐ χιών εῖσι λευκή, οὐδὲ οὐ γίνεται τι εἰχομέν. Id est: *Nix aqua est concreta; nigra autem est aqua; nigra ergo est nix.* Atque huiusmodi quasdam nugas accumulans contrahit supercilia, et dialecticam obtendit, magnoque cum fastu nititur astriuere nobis per demonstrationes Syllogisticas, fieri aliquid, et moueri aliquid, et niuem esse albam, et nos cornua non habere. Ut scholastici in hac re exultauerint et lasciuuerint,

uerint, notum est, qui uariis modis ab usu loquendi male discesserunt. Quod VOLATERRANVS libr. 37 Vrbanoi. ita reprehendit: Neoterici multo ambitiosius dialecticam inuolucris et aerigmatis post distorserunt, ut iam sphinge opus sit ad artem Raimundi. Sed et haec contagio nostros iam dudum infecit religiosos, et in eorum conciliabilis ac disputationibus is maxime prouebitur, qui ceteris clamosior atque arrogantior uidetur tum maxime sapere, si portentosis nominibus e coetu commentariorum deponit, quam minime ab aliis intelligatur. Conf. Contin. VOSSII de phil. sectis cap. VIII, p. 185. Pertinet huc HENR. CORN. AGRIPPA, qui de incertitudine scientiarum cap. VIII: Sed longe phira, inquit, prodigia, maioraque portenta iis addidit recentior sophistarum schola, de terminorum passionibus, de infinito, de comparatiuis, de superlatiuis, de differt aliud ab, de incipit et definit, de formalitatibus, haecceitatibus, instantibus, ampliationibus, restrictionibus, distributionibus, intentionibus, suppositionibus, appellationibus, obligationibus, consequentiis, indissolubilibus, exponibilibus, reduplicatiuis, exclusiuis, instantiis, casibus, particularisationibus, suppositis, mediatis, et immediatis, completis, incompletis, complexis et incomplexis, et ceteris intolerandis, uanisque uocabulis, quae traduntur in paruis logicalibus; etc. Quamuis enim AGRIPPA hic etiam terminos criminetur, qui usu non carent, et iam ius ciuitatis in usu loquendi technico acceperunt, sunt tamen etiam inter eos quos memorauit, a quibus etiam ob usum loquendi abstinentiam fuisset; u. g. particularisatio, haecceitas, formalitas etc. Spectant huc quoque, praeter philosophos, alii; nam omnes usum loquendi tucri debent; et quo dignior grauiorque est scientia, eo magis usui loquendi opera est danda, quo magis cum maiori periculo et damno hic erratur, quod facile fit, si noue et usur-

usurpare loquaris. Sic minus bene egit ille medicus, qui theses medicas de dolore capitis, *ius publicum*, inscripsit, uid. MENCKENIVM de *charlataneria erudit.* pag. 30. Et quis probet SYNESIVM, qui in argumento grauissimo, de Deo, ita, contra usum loquendi theologicum, canit :

Σπέγμα τῶν πάντων  
Πίστα καὶ ὄργανος  
Φύσις ἐν νοεροῖς  
Θύλη καὶ ἀρρενεῖ.

*Semen omnium, Radix et summus ramus, Natura inter intelligentias, Femina et mas.* Quibus doctissimus auctor historiae phil. doctrinae de ideis p. 186 haec iure meritoque censurae loco addidit : *Vt enim taceam, emanationem ex Deo haud obscure innui, id solum absurde platonizantem demonstrat Synesum, quod Deum faciat αὐδεγόγυνον.* Alia plura eiusmodi ex SYNESIO excerpta dedit MARTINVS CHALDENIUS in diff. inscripta : Θεολογία SYNEH et Vitebergae 1713 habita, de quibus §. 18 ait : *tales incommodae locutiones apud Synesum non paucae occurrunt, quam nonnullae interpretationem saniorem admitterent, quum tamen praebere possint male iam sentientibus ansam ulterius in errore perseverandi: tutius semper ecclesia purior existimauit, cum scriptura loqui.* Adde his PETRI ADOLPHI BOYSEN disput. priorem de philosophumenis Synesii, Halae 1714 habitam, ubi pag. 32 de loco SYNEH supra allato erudite iudicatur. Multa alia huius modi obscura et contra usum loquendi sacrum prolata in COLBERGI *Platonisch hermetischen Christenthum* inueniuntur, et adhuc pro dolor, nostra aetate, oculos et aures inquinarunt.

### §. III.

### §. III.

Ufus loquendi etiam in minimis u. g. in pronuntiatione, orthographia, terminatione, constructione seruandus et exprimendus est, quia nemo facile ignorat, uocum significaciones haud raro his etiam minimis internosci. Sic quis nescit, *mōrari* et *mōrari*, *invitus*, *infidus*, *inuidus*, *dic* et *duc*, *dominus*, *domina*, *ōμοιστος*, et *ōμοιστος*, *timeo te*, et *timeo tibi*, significatu differre, et eum non intelligi, atque haud raro grauiter errare, qui haec confundere instituat. EDMUNDVS CASTELLVS in oratione, cum paelectiones suas in secundum Canonis Avicennae librum auspicaretur, Londini 1667 edita, pag. 17, ostendit ex neglectu discriminis duarum literarum Arabicarum valde similium *waw* et *ze* contigisse, ut AVICENNA aliquoties arsenicum, atque adeo uenenum letale, propinandum commendare uideatur, quum ipse de uernice loquatur.

### §. IV.

Quum usus rerum magister doceat, magnos populos, et in prouincias diuisos, atque in genere una lingua utentes, uti Graecos, Latinos, Arabes, Germanos etc. dialectis differre, quod ob diuersa ingenia, mores, commercia, et alias cauissas uix aliter fieri posse uidetur : ex societatum regulis clarum est, quemuis usui loquendi prouinciae et patriae, dum in ea uiuit, magis addictum esse debere, quam alii. Quia enim quisque cum societate, in qua uiuit, artius connexus est, quam cum aliis hominibus, quidni et curet, ut a suis potius, quam ab aliis intelligatur ? Incommodum certe effet, ita linguam discere, ut domi saepe non intelligaris. Inique itaque ab iis agitur, qui si suam dialectum pulchriorem esse

esse aut credant aut sciant , ab aliis eiusdem linguae hominibus exigunt , ut terminos prouinciae patriae omittant , et elegantioris prouinciae uocabula eorum loco adoptent , h. est , ut studeant , quo a suis saepe non intelligantur . Et magna quaestio est , licet concedas et utraque des manu , dialectum aliquam in genere alteri praferendam , utrum ideo etiam omnes uoculae eius , alterius dialecti uerbis prouincialibus iure anteferri possint ac debeant . Et quis iudex sit , isque iustus et aequus , de dialecti alicuius praestantia ? quum quot capita tot sint de hac re sententiae , nec ulla ullius praestantis et excultae linguae facile exstet dialectus , quae omni creat pulchritudine . Vix aliquid in rebus humanis undique placere aut displicere potest . Et quaenam prouincia , quaenam magna urbs , unam dumtaxat dialectum habet ? Quod enim **SEXTVS EMPIRICVS** de Graecis dixit , latius patet ; cuius sententia de hac re *libr. I , c. 4 , contra Grammat.* pag. 235 , sequens est : *Ἐτε γὰς ἐν Ἑρῷ εἰς ναὸν ἑνέργην διάλεκτον. πολλαὶ γὰς Δωξίδες ναι Αὐτῷδες.* Neque enim est unus mos in unaquaque dialecto ; sunt enim multae Doricae et Atticae . Etiam in dialectis aliquid patriae , et terrae quae nos alit , debemus ; licet ideo non negemus , dialectos rudes debere successive emendari , et eum , qui aliquid scribit , quod aetatem laturum sit , oportere emendatae dialecto studere . Male itaque POLLIO LIVIO Patauinitatem obiecit , quaecumque ea fuerit ; uid. MORHOFIVM de Patauinitate Liuiana ; et SCHVRZFLEISCHIVM in *praef. ad dissertationes Academicas variij generis.*

## §. V.

In primis ille , cui cum plebe uersandum et agendum est , minus ab usu loquendi et dialecto prouinciae discē-

discedere debet , quia plebes alias dialectos uulgo non intelligit . Neque tamen ideo uolumus , ut vir honestus et spectatus rudem sequatur plebei et corruptam rationem loquendi scribendiu . Sed uoces prouinciales alias , quae falsa non sunt , obseruet , si intelligi uelit . At qui uel eruditus esse uult , et linguae patriae rationes nosse , aut extra prouinciam suam res agere aut inuenire fungi ; et alias linguae dialectos , et terminos alias prouinciarum scire debet , quum ex usu rerum certum sit , ex una dialecto saepius linguam eiusque rationes melius inspici posse , quam ex altera ; et haud raro in una terra uocem non solum plane ignotam esse , aut aliud denotare , quam in altera , sed etiam hic honestam , alibi turpem habere significationem . Sic **ALEXANDER HELLADIVS** de *statu praesente ecclesiae Graecae , cap. XXIII ,* ordine alphabeticō plura uocabula exposuit , quae diuersis in *Graeciae regionibus diuersas habent significationes.* Rarum est , sed tamen contigit , ut homo dialecti ignoratione periret . Factum **POCOCKIVS** in notis *miscellaneis MAIMONI- DAE* portae *MOSIS* additis pag. 24 , ita enarrat : *Arabs quidam quum ad Hamyrensum regem in palatii tecto sedentem accessisset , bac uoce ( ثب Theb , sc . ) comiter sedere iussus ; sciat ( inquit ) rex , me ad omnia , quae iusserit , paratissimum , dictoque citius de tecto desiliens , misere confractis membris periit . Miratus rex hominis dementiam , quum a suis audiisset , verbum illud alia Arabum dialecto , non tam sedendi , quam profiliendi aut uolandi significatum habere ; certe ( inquit ) oportet , qui Dhafarum ( nomen illud regiae apud Hamyrenses urbis ) ingreditur , Hamyrisum addiscat .* Facile uero apparēt , prudentiae esse , si quis in prouincia ortus sit , cuius dialectus crassior est , ut ne politioris prouinciae sermonis ignarus sit , si in ea cum dignitate esse et

et rebus fungi uelit. Facile quidem aliquem commendat in loco impolitae linguae diale<sup>c</sup>tus elegantior, quod uero non fit, si uices uertantur. Eiusmodi rudi, et confusi soni dialecto uulgo usi olim sunt inter Iudeos Galilaei, de qua in tractatu *Eruin* fol. 53, 2, haec memorantur:

**בְּנֵי גָּלִיל רַלְאָ רַיְקִי לִישְׁנָא מַאי הַיָּא**  
**רַתְנִיא הַהוּא בָּר גָּלִיל** דָּאָמֶר לְהֹ אֲמָר  
 לְמַאן אָמֶר לְמַאן אָמְנוּ לִיה גָּלִילָה שׂוֹתָה  
 הַמּוֹר לְמִירְכָּב אוֹ חַמְרָה לְמִישְׁתָּחִי עַמְרָה לְמִילְבָּשׁ

Id est: *De Galilaeis, quibus confusa dialectus est, quid traditum est?* Fuisse nimisrum Galilaeum, qui aliis Iudeis dixerit haec uerba: *amar leman amar leman*, (eaque adeo impolite et confuse pro dialecto sua enuntiasse, ut ipsi dicerent: *stulte Galilaei, uisne chamor, asinum ad equitandum; an chamar, uinum ad bibendum, an bhamar, lanam ad induendum, an immar, agnum ad seruandum mactationi?*

### §. VII.

A communi usu loquendi in scientiis abire licet. Quum enim scientiae, quod nemo ignorat, u. causa logica, metaphysica, et reliquae, passim res tractent, quae in communi uita et sermone aut plane non, aut certe non in genere occurrunt, facile liquet, ex communi uita terminos iis rebus denotandis sumi non posse, sed scientiarum cultores eos inuenire, et sic usum loquendi technicum constituere, debere. Sed et hic sana ratio suadet et uult, ut si id fieri possit, in constituendis terminis technicis terminos ex communi usu loquendi retineamus, si notiones communes cum notionibus disciplinarum cohaere-

haereant, quod bene fecisse olim Peripateticos supra §. 1, uidimus. Facilius enim ita termini memoria tenentur, et praeterea apparet, philosophiam arte cum uita communi coniunctam esse. Sin autem philosophi statim ipfis terminis sine necessitate sidera feriant, philosophia sine culpa sua remotior esse uidetur, quam reuera est, ab usu publico. Ceterum quoque liquet, quia scientiae proprium usum loquendi technicum habent, etiam terminum quendam in una scientia aliter usurpari posse, quam in alia. Sic aliud est *ratio*, si ontologice sumatur, aliud uero si psychologice intelligatur; licet mallemus hoc ad uitandam confusionem, in quam philosophia initiandi ex hac re incidere solent, aliter esse, et diuersas res diuersa habere nomina. Sed iam usus est et tyrannus manebit.

### §. VII.

In philosophia, aliisque scientiis recte bonis planisque metaphoris, aliisque tropis, itemque figuris utimur. Nemini, qui ad suum aliorumque sermonem in uita communi attendit, obscurum esse potest, omnes homines saepe tropice, saepe figurate loqui, quod et ARISTOTELES, aliique ueteres dudum perspexere. Quum autem usus loquendi technicus non semper ab usu communi discedere debeat (§. 6); et ne tum quidem, quando id fit, et fieri debet, hoc nimis agendum: facile intelligimus, etiam in philosophia, aliisque scientiis, tropis et figuris bonis et perspicuis locum esse. Falsum enim est, metaphoras in nexu uerborum esse uoces significatus uagi et indeterminati. Totus sermo rem et notiones hic ut alias facile declarat; et extra connexionem non solum termini metaphorici sed fere omnes sunt ambigui. Vnde AVGSTINVS princip. dialect. cap. VIII, oper. tom.

tom. I, pag. 617, dixit : itaque rectissime a dialecticis dictum est, ambiguum esse omne uerbum. Certum quidem est, philosophum, aliumque ueritatis et scientiae suaे doctorem, officio satisfacere, si uerum rite explicet, et roboret; sed si quis praeter hoc simul elegantia et ornatu, quem tropi et figurae commode adhibitae sermoni afferunt, sua colere et uelit et pro rebus circumstantibus possit, cur non liceat? Placet nuda ueritas, si philosophus, philosophiam scientiam esse ait rerum ex ratione deducitam. Sed placet etiam CICERO, qui libr. V. *Tusculan. quaest. cap. II* ita pulchre et pathetice commentatur : *O uitae philosophy dux! o virtutis indagatrix, expultrixque uitiorum! quid non modo nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem uitae conuocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugii, tum literarum et uocum communione iunxisti: tu iuuentrix legum, tu magistra morum, et disciplinae fuisti.* Placet quoque BOETIVS qui libr. I. *conf. phil. prof. I* hac uenusta suauique prosopopoeia utitur : *adstitisse mibi supra uerticem uisa est mulier, reverendi admodum uultus, oculis ardentibus, et ultra communem hominum ualentiam perspicacibus, colore uiuido, atque inexhausti uigoris, quamvis ita aeuī plena foret, ut nullo modo nostrae crederetur aetatis. Statura discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram coibebat; nunc uero pulsare coelum summi verticis cacumine videbatur: quae quim caput altius extulisset, ipsum etiam caelum penetrabat, respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. Vests erant tenuissimis filis, subili artificio, indissolubilique materia perfectae; quos ut post, eadem prodente, cognoui, suis manibus ipsa texuerat. quarum speciem, uelut fumosas imagines solet, caligo quaedam neglectae uerstatis obduxerat.*

Harum

*Harum in extremo margine II, in supremo uero Θ legebatur intextum. Atque inter utrasque literas, in scalarum modum, gradus quidam insignit videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum esset ascensus. Eandem tamen uestem violentorum quorundam sciderant manus, et particulas, quas quisque potuit, abstulerant. Et dextra quidem eius libellos, sceptrum uero sinistra gestabat.*

### §. VIII.

Poetae recte a communi sermone in carminibus suis discedunt. Quicumque spiritu poetico, et in primis, grandi carmine, digne canit, in singulari aliquo mentis motu est; quem ideo ueteres diis adscripserunt. Quum uero in eiusmodi motu in uita communi ordinarie homo non sit; et sermo index sit animi; nemo non uidet, motum poeticum aliud aliquid postulare, quam usum loquendi communem. Quod tamen non ita dictum est, ac si poeta nullum uerbum solitum in carmine habere possit, sed id uolumus, ut pro ratione carminis etiam aliquid habeat non vulgare, et nomine suo dignum. Huc tendit PETRONIVS, qui ab initio SATYRICI : *Nondum, inquit, iuuenes declamationibus continebantur, quum Sophocles aut Euripides inuenerunt uerba, quibus deberent loqui.*

### §. VIII.

In sermone acuto quoque recte usum loquendi communem migramus. Animi acumine plura quam uulgo fit in re deteguntur, ex quibus deinde in sermone et filio acuto, ad prodendum acumen minus uulgaria rei significandae adhibentur. Quod quia uulgo neque fit, neque fieri potest, quia alias acumen nihil effet, recte statuimus, in sermone acuto usum loquendi ordinarium iure mi-


C 3

grari.

grari. Sunt uero et hic certi rerum gradus. Sic GREGORIUS NAZIANZENVS acute in *definitionibus suis* pag. m. 20 dixit : Τρόπαιον ὁ καυγὸς δὲ τῆς ζύλου ζύλου, i. est, *Crux est lignum, tropaeum ligni*, h. est, crux Christi est tropaeum peccatorum, quae ab arbore Paradisi coeperrunt; nec minus acute pag. 18, ita locutus est : Η παρθένεια δὲ εἰσβασίς τῆς σωματος : *virginitas est migratio ex corpore.* Huius generis etiam sunt in HADRIANI cum EPICTETO altercatione. *Quid est senectus?* Epict. optatum malum, uiuentium mors etc. Idemque in disputatione PIPINI cum ALBINO : *Quid est luna?* Alb. oculus noctis, roris larga, praesaga tempestatum. In aenigmatis, quae etiam hoc pertinent, maior adhuc, ut ipsa uox prodit, gradus acuminis ostendi debet, sed et hic seruandus est modulus, nec omnes fallendae coniectandi uires. Sic modulus mihi uix seruatus esse uidetur in hoc aenigmate ALBINI : *Vidi mortuum sedentem super uiuum, et in risu mortui, mortuus est uiuus.* Pip. *Hoc coci nostri norunt.* In primis reprehendi hic potest uerborum obscuritas, quam sic difficultas uerborum rei difficultati accedat, et nimia euadat. In quo uitio inessent haec apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM Strom. libr. V. p. 570. Βεδύ, Ζαλ, Χθών, Πληντέον, ΣΦιγξ; et Κνάξβι, Χθύπτης, Φλεγμός, Δρώψ, si reuera aenigmata et arcana essent, ut a multis creditum est; quum nihil aliud sint, quam uoces fere fictae et alphabetum Graecum a pueris memoriae imprimendum, complectentes. Conf. GALE in *diff. historiae poeticae scriptoribus antiquis* praemissa pag. 16. seq. Praeterea quisque nullo negotio uidet, sermonem acutiorem et aenigmata apud imperitos, et acumine destitutos, aut in re tristi, itemque a qua omnis pugnae occasio abesse debet, haud recte et secure adhiberi. Illi enim acumina

haud

haud capiunt, ac argumentum triste, per se, et suum nomine, haud decet ista ad ostentationem composita ars. Quod si tandem res planissime intelligi debet, nec certamini opportunitas dari uult, acutiores et aenigmatici sermones, qui facile uarias interpretationes admittunt, quod non ab omnibus capiuntur, iure meritoque omituntur. Sic aut res est ficta, aut male sanus fuit ille Atheniensis; qui, indice PHAEDRO, libr. IIII; fab. IIII: *matrem fecit heredem - , sub conditione, totam ut fortunam tribus (filiabus) Aequaliter distribuat, sed tali modo; Ne data possideant aut fruantur, tum, simul Habere res desierint, quas acceperint, Centena matri conferant festertia.* Sed nos hoc testamentum non Athenis factum, sed in cerebro scriptoris fictum arbitramur, et hic desinimus.



PRAE-

P R A E S E S  
CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

Gratulatione et uoto te in fine dissertationis prosequendum duco;  
qui laudabilem et honorificum exitum studiis TVIS Academicis im-  
ponis. Quemadmodum enim pulchrum est et decens, quod ita in lite-  
rarum studia incubuisti, ut iam publico praemio ab Ordine nostro  
dignus habitus sis; et ego confidere possum, te in cathedra facile  
ostenfurum, dignitatem philosophicam rite abs te prensatam: ita  
quoque opto precorue, ut TIBI institutum hoc bene et feliciter ce-  
dat, nec fructu studii et honoris excidas; sed commodis laeteris,  
et sic aliis exemplo TVO iuritamento sis, quo et ipsi, iisque  
plures, ad sobriae philosophiae culturam eo facilius  
impellantur. Vale.